

Colerus

Posterion

Augusto

Buchnero
dicatum

(1645)

Lat. rec.

II

Oct 1008

2

Lat. rec. II Oct. 1008



246847. 6 ill
Colerum 27

S O T E R I O N
AD DEUM SOSPITALEM SERVATOREM,
pro Recuperata Salute

(Clarissimo Summoq; Viro)

AUGUSTO BUCHNERO,
in Academiâ Witebergensi
Professori Poëtices & Eloquentiæ celeberrimo,
ac Seniori Facultatis Philosophicæ venerabili,
Amico incomparabili;

Ex debito amica Pietatis officio)
Dicatum consecratumq;

Auctore

CHRISTOPHORO COLERO,
Gymnasii apud Vratislavienses Elisabetani
Historiarum Professore, & ad D. Mar.
Magdal. Bibliothecario.

BRESLÆ, Exscripsit GEORGIUS BAUMANNUS.



(1645) 443849

1932 k 4553



27



Clarissimo summoq; Viro
AUGUSTO BUCHNERO
Christophorus Colerus
S. D.

Veteres pro ægrorum, non tam principum virorum, quàm etiam privatorum, consanguineorum aut familiarium, recuperandâ Salute, Vota ad DEOS suos Tutelares & Sospitales suscepisse; aut pro recuperatâ, Eucharistica, sive Soteria concepisse, Tu ipse, qui paganæ & Christianæ Antiquitatis mysteria in numero habes, me non monente, omnium optimè scis, AUGUSTE BUCHNERE, Vir in Rep. literariâ tui planè prænominis. Ea propter, cum curiosus alioqui antiquitatum sim scrutator, & studiosus, quantum Christiana Religio permittit, imitator, hoc præcipuè non impium Ritualium genus in præsentem imitari volui. Ac, ut ad primum læsæ valetudinis tuæ nuncium, quod certè meros lapides loquebatur, VOTIVAS PRECES pro recuperandâ illâ, clam animo, & palàm ore inter familiares concepi & fudi; ita nunc post acceptum à te ipso lætium salutis recuperatæ feliciter nuncium, quod meras rosas proferre visum est, in memoriam restituti omnium mortaliū bonorum inæstimabilissimi, quod Sanitatem dicimus, SOTERION pia quidem mente conceptum, sed incondito carmine indigestum, Tibi veteri formulâ L. M. Q. transmittere volui. Officium verò hoc Pietatis & publicæ, & privatæ exigebant causæ Publicè enim permagni interest, ut tu salvus, incolumis, & diu superstes existas; ut non tantum cathedras B. B. Antecessorum tuorum feliciter insessas quam

diutisfi.

diutisimè ornes, sed etiam ipsam Germaniam, seculum hoc præfens, & venturum immortalibus ingenii tui monumentis bees. Privatas, hoc est, meas, quantum attinet causas; tua certè in me præter omne meritum tam propensa voluntas, ac affectus planè singularis, ut & meorum præcocis ingenii abortuum æstimatio, me tibi obligatissimum meritissimo tuo effecerunt. Quod verò jam per integrum decennium, & quod excurrit, tam obvius, expositus, & plenus humanitare, quàm præcipis, fueris, & adhuc sis, ut vel ex nuperâ epistolâ liquet; dubito, an Te quædam similitudo tui ipsius in me emicans delectet, an verò affectus in nostram gentem, & nominatim in Triumviros illos, KIRCHNERUM, OPITIUM, & NÜSLERUM, omnes nunc *ἱεραρχίας* civis meos in exemplum propositos, in me communi civitatis jure derivetur? Ego quidem à primis statim annis magnis nominibus assurgere, eorum natales celebrare, & imagines, incitamenta animi, adspicere, suspicere, & colere coepi; memor illius Lucretiani:

nonne decebit

Hos homines numero divum dignari esse?

Quod reliquum est, ut hoc tumultuarii spiritus, & desultorii ocii SOTERION, ex animo tamen candido conceptum & fufum, in publicum intimæ gratitudinis testimonium à me tibi vel Salduriorum lege devotissimo, ea qua soles fronte, hoc est, serenâ, & verè tuâ accipias, etiam atq; etiam oro. Vale, & vive diu quam bellissimè Musarum delictum & meum; ac, nisi grave est, incomparabilem illum Gentilis & Christianæ Antiquitatis Vindicem & Literarum statorem CASPAREM BARTHUM, Hallis Saxonice in nidulo senectutis fallentem, à me officiosissimè saluta. Scrib. Vratisl. XVI. KAL. Sextilis, A. C. clc lxxv.

SOTERION.



Ivis Jò Numen curans humana Supremum,
 Nec per te disrumpit inexorabilis almæ
 Lucis opus Clotho, producens vellera filo.
 Sic tua, Magne Pater, vitæ Servator & auctor,
 Quos longâ dignos ferie currente dierum,
 Censes, respectat læto Clementia vultu;
 Vicinos morti retrahens à limine fati,
 Temporis & nostri fructum, & venientis in usum.
 Non sic Pieriæ decimâ cum Palladè Divæ,
 Nec chorus Orchomeno Charitum resonante triformis,
 Aut princeps vatium, quo Mantua clara triumphat,
 Romanævé lyræ fidicen primævus & unus,
 Sollicitaverunt gentilia numina votis,
 Cum summo sacros dignatus honore Poctas,
 Mæcenas atavum regali sanguine cretus,
 Tusceus eques, morbi fatali algeret in æstu:
 Ac ego Leucorcâ cum nuncia tristis ab urbe,
 Littera portaret; palmaris adorea Pindi,
 Palladiumq; decus, Svadaq; nedulla potentis,
 Optio BERNECCI, Germanidos unio terra,
 BUCHNERUS tuus ille Thales, & verus Apollo,
 Eben (ò Superi despectite tristius omen!)
 Morborum graviter febrili excoctus ab igne,
 Et lento totus confectus viscera tabo,
 Angit agens animam, & Celum suspirat anhelans,
 Fix abs Elysiâ tantundem sede remotus!
 Nec sic summates illi plaudente Choragi
 Cum Pindi Harmoniâ, tot laudum carmina summo
 Accinuère Jovi, Divumq; Hominumq; parenti,
 Conciliové Deum, fato, fatiq; ministris,

Quis

Quis tractare data est vitalia pensa potestas.
 Ac mihi, amicorum princeps & gemma meorum,
 Tot nova permulcent prius - ægrum gaudia pectus,
 Cum tua quantumvis langventis Epistola dextræ
 Nunciat auditu gratis lætissima verbis:
 Spiro, COLERE, Deo servante, meiq; superstes,
 Qui nisi servasset, tibi sanè exangue fuisset
 Corporis exhaustum nervis, animiq; cadaver.
 Tantum vota valent ad mitem missa Parentem!
 Per sacra Pieridum testor communia, quarum
 Sacra fero tecum, per doctas Palladis artes,
 Et per Mnemosynes crescentia templa perennis,
 Quantum fama loquax & rumor nuncius acer
 De langvore tuo, & præceptâ funeris umbrâ,
 Detonuit lapides & spissæ grandinis imbres:
 Tantum fama recens alâ perniciosior Euri,
 Et tua melle fluens & nectare charta renati,
 De restaurato tibi prisce flore salutis,
 Attulit ore rosas, & si quid dulcius illis.
 Nam quia dimidium nostri prædulce revixti,
 Altera pars animæ spirabilis ipse renascor.
 Ut non una prius fuerat mihi causa dolendi,
 Sic non una venit gaudendi causa recenter.
 Namq; ego, privatim tantum tibi debeo, Semo,
 Quantum vix ulli doctorum in Teutonis orbe.
 Jam duodena suum messis remeavit in orbem,
 Cum me dissimilem cunctis tibi dotibus, annis,
 Ingenio, doctrinæ adytis, & moribus aptis,
 (Quæ solidare solent aliàs candore sequestro
 Nomen amicitiz, & victuri foedus amoris)
 Vir consummatus juvenem sine pondere junxti.
 Ex quote colui numeri majoris amicum.
 Nunc & adhuc Genium quasi mecum mente benignum,

A 3

Vel

Vel tacitum quoddam numen colo; cuius imag^o
Tulliam referens, consummatumq; Maronem,
(Cum mihi non detur coram spectare bicordem.)
Culcar erit stimulusq; mihi, dum vita manebit,
Ad Sophies contendendi Suadaq; recessus.
Ac quidni præceptorem reverenter honorem,
Humani generis, sanctiq; emblema Catonis!
Cujus iudicio, Phoebæ monstrante vel uno,
Non sine iudicio censenda Crepundia soli
Nostra damus meritò, cum sit censoria pluris
Virgula Aristarchi tanti, quàm mille Theonum,
Qui rabidè arrodunt meliores dente canino.
Tectis BARCLAII civilis & aulicus Icon,
In varias à me partes resolutus & actus
Gymnasii in cætu nostri, spectante Senatu:
Quas tenues operas in cælum laude tulisti.
Prætereo reliquos invitâ sæpè Minervâ
Ingenii partus, vel crudos temporis usu,
Ebrius affectu sed quos laudare solebas,
Ac si luce forent digni, & lectore sagaci.
Atq; ego, si minimus quantumlibet ore canendi,
Dum meritis assurgo tuis, nomenq; celebros,
Te nostras humilis sensu demittis ad umbras,
Contractumq; semel vivacis foedus amoris,
Et fidei injectam calamo satis obside dextram,
Officio obliquas scribendi crebrius actio.
Non calamum retrahunt densata negocia Athenis
Leucoreis, Sophies tractanda nec ocia divæ.
Sed neq; langvor adhuc serpens, nec semina morbi
Ultima cedentis svadere silentia possunt.
Hactenus adduxi privas ex ordine causas:
Nunc majora dabo causæ momenta probatæ
Publicæ; si quæras, cur te desiderat orbis

Doctior

Doctior & melior? Tu ceu Germanus Apollo
Collapsas per bella bonas feliciter artes
Restitues dexter venturæ pacis ab ortu,
Quam nunc tot votis Germania præcipit altis;
Barbariæq; malum Lernæ à tetrius hydrâ,
Et stabulo Augiæ pulsabis densius arcto,
Ac Erymanthæi plus dente nocentius apri,
Quotquot & Alcides grassantia monstra subegit.
Indice tu monstras digito, quo tramite recto
Ad veterum currat fontes Academica pubes,
Nec stupidos libet rivos, pigrasq; paludes,
Quod multi faciunt, quos recti inscitia cæcat,
Qui planè ignorant, quid distent æra lupinis;
Ac quernas comedunt glandes pro frugibus almis.
Tu pridem ratione catâ mysteria vatuum
Pandis, & abstrusam doctrinæ corpore mentem.
Te præeunte capit studiis addicta Juventus
Phoenicem Vatum, Regemq; Deumq; Maronem,
Et quem progenit sæcunda Calabria Flaccum,
Ac, quo doctiloquo gaudet Verona, Catullum.
Aut quoscunq; ætas tulit Augusta a Poëtas,
Et sic TAUBMANNI quondam clarata superbit
Successore pari RODENBURGIq; cathèdra.
Sed commissæ tibi non Sparta Poëtica tantum,
Quin simul accessit provincia grandior illâ;
Dicere pro rostris, Suadaq; vibrare lacertos,
Exercere toros validè Demosthenis armis,
Aut præ queis Catilina furens expalluit olim.
Tulliadæ accedit Trajani præco sereni
Plinius: ut Xenophon fuit Attica Musa Pelasgis,
Aut apis, hic populo divi Romana Quirini;
Ac quotquot secum socios in corpore libri
Circumfert: gemmas non mole, at pondere rerum;

Quas

Quas veteres orbis Domini sine nomine Reges,
Sceptra inseruere suis soliq; coronis.
Sed quem præcipua debebam ponere sella,
Concisum verbis Senecam, rebusq; fluentem,
Seirenem Latine Sophies, morumq; magistrum,
Trivisti manibus, fieres ut proximus ipsi;
Scilicet ut Fabii Votorum est summa disertum.
Hoc manet in cathedra Virtus SIBERICA pacto!
Nec satis hæc avidæ famæ pomoeria menti.
Ire per Historias pridem tua magna voluptas,
Annales veterum veros chartasq; recentes,
Seclorum seriem lustrare ab origine mundi,
Et tot disparium populorum facta, sitorum
Solis ad Eoi tractum, & morientis ad oram.
Sic tibi, sic aliis scite præcepta legendo,
Publicitus priveq; exempla salubria carpis,
Ætati instillans virtutum examina vernæ,
Nõrit ut excusis imitari turpibus illud,
Quod sibi, quod patriæ sartum devertat in usum.
Regnorum momenta, vices, obitusq; potentum,
Quantaq; sit, cernis, levis inconstantia mundi!
Præmia factorum rectè, poenasq; sinistrè;
Tam multo pridem studio & sudore parasti,
Cuncta vel in dociles ut transfundantur Ephebos.
Ergo quis ob præcii meritorum pondera tanti
Dete servato, ò præsentis gloria seclis;
Pergameo haud Gallum juveni pro more vetusto
Offerat, aut medico celi Soteria soli
Accinat, & lætas tentet persolvere grates?
Cui mens pura animi melior cadit hostia semper.
Nec memorasse sat est causas, BUCHNERE, priores.
Major quippe venit, docilis texenda Minervæ
Tela tuis manibus, quæ non tam proderit ævo

Currenti,

Currenti, ac posthac venturis jugiter annis.
Aspice præmissi nobis duo lustra per, ultrò
Porrexere tibi vivacem lampadis ignem.
Hos tenuis textos pepli quasi sindone monstrem,
Nì modò tantorum laudes detriverit impos
Ingenii virtus, Latineq; infantia lingvæ.
Primus Pierium positorum duxerit agmen
CUNÆUS, quem clara dedit Flisinga Selandis.
Ille Menippæ Satiræ descriptor & auctor,
Qui miri genio felix Dionysia Nonni
Exposuit, cujus studio Respublica gentis
Hebrææ constat. Romanorumq; priores
Juliano scriptore Dii, dominiq; potentes,
Per quem nunc sermone loqui didicere Latino.
Cujus melle fluens cum majestate virili
A genio, & vigili concors oratio curâ,
Judice te, facta est par prisca norma loquendi.
MEURSIUS hunc sequitur, quem magna Batavia mater
Edidit, atq; solo peninsula Cimbria texit;
Græcia cui debet genuinum Antiqua nitorem,
Et nova captivæ sermonem Barbaræ gentis.
Nectum jam nostris, PUTEANE, intactus abibis
Versibus, infessor dudum præclare Cathedræ
Lipsiæ, vitæ satur, interniq; duelli;
Quem Præceptor exæquat Romana vetustas.
Ac præter Batavos orbata Alemannia luget
BERNECCERIADEN, quem quadragesimus annus
Vertilishinc rapuit seclis; at Varronis ab oestro,
Quem Senecæ, & Taciti, præstat dixisse tricordem.
Qualiter Ænæas, cum Trojæ perderet arcem
Flamma vorax, charum Genitorem extraxerat igne;
Sic gnatus Patri similis, majorvè futurus

B

MEL.

MELCHIOR, atq; Gener lectus FREINSHEMIUS ex re
Depositum, Patrem studiis Socerumq; daturi,
Postuma servarunt monumenta Politica sancte,
Historiaq; faces, praecepta exemplaq; rerum.
Ast hunc praesens docti formica laboris
VIRDUNGUS, major docto quam clarior orbi;
Cui tamen Agricola Cornelia vita polita est.
Nec fuit ipse sui KIRCHMANNUS funeris expertus,
Quamvis funereos ritus pompamq; sepulcri
Romulidum exacte calamo vivace notavit:
Quo tamen effugit flammis pia fama rogales,
Major post cineres hominis plaudentibus alis.
Nec contra fati munita Silesia casus,
Illa perennantum Genitrix foecunda virorum.
Non sic affulgent timidis fulgentia Nautis
Sidera, Tyndaridae fratres, quam lumina terrae
Fulserunt patriae, duo summi nominis illa:
OPITIUS, Pollux velut immortalis in zuo,
Divisit diæ donum memorabile lucis
Castore cum socio NÜSLERO Mercuriali.
Illum victuræ virtutis honore gemella
Æternant Gnata. Major GERMANA POËSIS,
Hactenus adspersa procos, innupta Minerva,
Disimiles à laude suo generosa Parenti.
Altera Gnata minor natu, tutoris iniqui
Invidiam aut plagio squalens in carcere duro
Et Patris & propriam deplorat, DACIA, sortem.
NÜSLERUM (quem fama minor felicibus orsis,
Atq; Plæstæi meritis in Principis aulam,
Et patriæ commune bonum malè prodidit orbi)
Claravit Juvenem civilis Aranea, Princeps
Excultus studiis, promptoq; Poëmata flatu

Nata:

Nata; Virum patriæ tot summa negotia rerum;
Et status Europæ sibi discordantis ubiq;
Ostendere satis; qualis quantusq; futurus
Is fuerat, scenam si per bona fata dedisset
Spectandam tabulam vivos monstrante colores.
Hi quasi cursores tibi vitæ lampada tradunt,
Svadentes reliquum percurras prepete cursu,
Quo positum in medio palmæ lucreris honorem.
Ecquot adhuc orbi confecta volumina debes
Pierio, quot clausa tenes monumenta tenebris,
Aut ex ingenii solertis acumine nata,
Aut ex iudicii crenâ reparata priorum?
Quorum inflicta situ sanasti stigmata longo,
Atq; excusisti spissas caliginis umbras;
Quæq; laborabant limâ cultrice polisti.
Eja emitte viros diuturno carcere victos,
Ac squalore sitos deduc in luminis auras.
Qui prius Hippolytus quasi læti raptus ad urnam,
Nunc ope divinâ lucis revocatus in oras,
Vir redivivus agis vitæ ceu Virbius alter,
Mensurans meritis posthac ingentibus annos,
Partibus ingenii numerosa in secula ituris.
Atq; ego, si votis liceat certare benignis,
Et pietas sinat, en de nostris jugiter annis,
Apprecor, ut, BUCHNERE, Tuos Deus augeat annos.
Longius intersis docto Germanidos orbi,
Et patrium redeas in celum serior hæres.
Nam quis mensuram transmissi computet ævi,
Cum vitæ natalis erit novus ordine verso?
Vive valeq; diu Pylijs numerosior annis,
Et versare rosis, tibi quas hæc luce renato
Spargimus, & ritu pluvie rorantis odores.


Ut

Ut reflorescas veluti Jovis armiger ales,
 Inter tot capitis properata insignia cani,
 Et referas juvenem redivivo robore priscum;
 Publica votorum vox est & priva COLERI.
 Te namq̄, incolumi longosq̄; superstite in annos,
 Bibliotheca, Domus, stant salva, Cathèdra, Lycèum;
 Et quæ summa, Salus doctrinæ Publica prisca.



Heymann, des Buchhandlung des Hofes.
 in Heymanns zu Leipzig, 1871-73. 8 Bände.

54



2325/32

Richard Fiebig
Buchbinderei
Breslau
Seminargasse 16

